



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo**

**Heislinger, Anton**

**Monachii, 1745**

Casus XXVII. De privilegio comedendi in Quadragesima carnes cuidam  
loco concesso, ad forenses se extendente.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**



## Casus XXVII.

*De Privilegio comedendi in Quadragesima carnes  
cuidam loco concesso, ad forenses se extendente.*

**Q**uidam Religiosus Societatis Jesu tempore Quadragesimæ à vicino quodam Toparcha ad concionandum & Confessiones excipiendas in sua Hoffmarchia evocatur. Quia autem Ordinarius ob graves rationes generalem facultatem comedendi carnes suis Diocesanis concesserat, in prandio alii, quam esuriales cibi præsentibus tunc hospitiibus apponuntur.

Dubium igitur non leve Missionario exoritur, num licentia hac Ordinarii in hoc casu etiam ad suam personam se extendat? Occasione hujus

Quær. 1. Utrùm Ordinarius cum suis Diocesanis in jejuniis dispensans etiam possit, & velit in hoc dispensare cum Religiosis?

Quær. 2. An forenses quamdiu etiam transeuntes tantùm in Diocesi Eustettensi in talibus circumstantiis commorantur, possint comedere carnes?

Quær. 3. An commorans in loco obligato ad jejunandum se licitè conferre possit ad locum à jejuniis exemptum, præcisè animo ibidem comedendi carnes?

Quær. 4. Utrùm Missionarius absque peccato comedere carnes potuerit?

### Synopsis.

#### §. I.

Resolvitur primum  
quæsitum.

M m 3

Ut.

*Utrum Ordinarius cum suis Diocesanis in jejunio dispensans etiam possit, & velit in illo dispensare cum Religiosis?*

1. 2. 3. 4. 5. 6. Afferuntur rationes sententiæ affirmati-  
væ.
7. Absque licentia sui Superioris nullus Regularis ab Episcopo dispensationem impetrare potest.
8. Hinc in ipso Collegio Societatis quantitatem carniū comedens, quæ non facta dispensatione esset mortalis, peccabit graviter.
9. Eò quòd dispensatio Ordinarii ad solos ejusdem subditos se extendat.
10. Religiosi etiam sint quidem in- non autem de territorio Ordinarii.
11. Nec favet Religiosis, quòd alterius Dioceseos personæ, dum in Eustettensi versantur, carnes comedere possint.
12. Ordinarius fundatam suam jurisdictionem habet in personas in- & de suo territorio commorantes,

13. Regularium ab Ordinario exemptio est in favorem totius communitatis, non autem singularium concessa.

§. II.

**Resolvitur secundum  
quæsitum.**

*An forenses quamdiu commorantur, etiam transeuntes tantum in Diocesi Eustettensi in hoc casu comedere carnes possint?*

14. Forenses sunt diversi.
15. Habentes animum per longius anni tempus ibidem commorandi, gaudent dispensatione.
16. Idem de vagis tenendum.
17. Et de cæteris forensibus, si isti legibus particularibus locorum, quæ transeunt, obligantur.
18. Si forenses non ita obligentur; cum illis in comestione carnis Ordinarius dispensare, juxta quosdam, non poterit.
19. Sententia tamen opposita videtur nobis probabilior.
20. Hinc

20. Hinc in Diocesi Eustetten-  
si comedere carnes forensis  
poterit, saltem si illuc non  
se contulerit solo animo ob-  
ligationem legis communis  
evitandi.
21. Satisfit rationibus oppositæ  
sententiæ.

§. III.

Resolvitur tertium  
quæsitum.

*An commorans in loco obligante ad  
jejunium conferre se licitè possit ad  
locum ab isto exemptum præci-  
sè ex animo ibidem co-  
medendi carnes?*

22. Afferuntur rationes senten-  
tiæ negativæ.
23. Probabilior nobis videtur  
opinio concedentium.
24. Quia talis non habet ani-  
mum legislatori suo nocen-  
di.
25. Refutantur rationes oppo-  
sitæ.

§. IV.

Resolvitur quartum.  
Quæsitum.

*Utrum Missionarius potuerit abs-  
que peccato comedere carnes?*

26. Videtur, quòd non, quia  
Ordinarii dispensatio eun-  
dem non eximit.
27. Insuper Missionarius extra  
Collegium Superiori suo est  
subjectus.
28. Probabilior est sententia  
affirmativa.
29. Peccabit tamen, qui solo  
animo comedendi carnes  
ad merendam cujusdam ex-  
terni in urbe se confert.

§. I.

Resolvitur primum  
quæsitum.

*Utrum dispensatio Ordinarii in jeju-  
nio generaliter cum suis Dioc-  
cesanis facta etiam se ex-  
tendat ad Religiosos?*

**R**esolutio primi Quæsti de-  
pendet ex eo, utrum Or-  
dinarius possit in jejunio dispen-  
sare cum Religiosis exemptis, &  
si possit, utrum hoc ipso etiam  
velit.

Quòd

Quòd dispensatio talis etiam se extendat ad Regulares aliàs licèt exemptos, videntur evincere sequentes rationes.

1 Prima. Dispensatio in jejuniò est aliquis favor, & quoddam quasi privilegium: ergo eisdem etiam uti possunt Regulares exempti. Prob. conseq. Regulares exempti sunt in aliquibus subjecti Episcopis, quia debent observare festa, ab Ordinariis indicta: item servare interdicta ab Episcopis lata: ergo etiam possunt gaudere privilegio & favore. Prob. conf. habetur inter alias regulas Juris in *Rubrica Legis. 9. ab eo. Cod. de fideicommissis* etiam istud: *quem non honoro, gravare non possum*: ergo si constet Regulares exemptos posse ab Episcopo gravari suis statutis, etiam hos debet posse honorare, seu aliquo beneficio afficere, ac favore, qualis est dispensatio in jejuniò.

2 Secunda. Sicut leges propriè dictæ afficiunt immediatè territorium, non autem ipsas personas, nisi in quantum versantur in tali territorio, ita etiam dispensatio in tali lege immediatè respicit territorium, & pro hoc

lata fuit: Atqui Religiosi Societatis nostræ sunt in territorio subjecto celsissimo Eustettensi: ergo ad illos etiam extenditur hæc dispensatio.

3 Tertia. Si aliquis ex Diocesi Augustana se Ingolstadtium contulisset animo per octiduum hic commorandi, dispensatio hæc etiam ad illum se extenderet: ergo etiam se extendet ad nostros constanter hic versantes: licèt sint per se exempti, prout est exemptus Diocesanus Augustanus.

4 Quarta. Augustanus habet jurisdictionem per totam suam Diocesin *cap. cum omnis Basilica. 16. q. 6. & cap. cum Episcopus de officio Ordinarii in 6.* ergo habet intentionem fundatam per totam suam Diocesin: ergo si Regulares in hoc puncto non sunt expressè exempti, eidem subjacebunt.

5 Quinta. Exemptio à jurisdictione Episcopi Regularibus fuit concessa in illorum favorem: ergo ubi subjectio cedit in favorem Regularium, possunt suæ exemptioni renuntiare: atqui hic cedit: *vide del Bene. n. 198. de immun. Eccl.*

Sex-

6 Sexta. Dispenſatio moderna non afficit ſolum Ingolſtadium, ſed totam Diœceſim, confequenter eſt generalis: atqui generali modo agendi in obſervandis jejuniis etiam Regulares poſſunt ſe accommodare. Prob. ſub. Jejunium per ſe exigit etiam abſtinentiam à lacticiiniis & ovis: ſed in hoc accommodant ſe Regulares modo ſæcularium; ubi enim iſti comedunt lacticiinia, etiam Regulares comedunt, & ubi non comedunt ſæculares, etiam non comedunt Regulares. Idem obſerva circa comestionem extremarum partium animalium, ubi iſta ſæculares comedere ſolent. Hiſta men non obſtantibûs.

7 Dico: Regularis abſque licentia ſui Prælati nullam ab Epifcopo diſpenſationem impetrare poteſt, confequenter lata hæc diſpenſatio in jejuniis non extendit ſe ad Regulares ſine conſenſu proprii illius Prælati. Ita Palao tract. 3. de LL. diſp. 6. pu. 7. n. 3. Sanchez l. 4. ſummæ. cap. 39 n. 27. Baſilius l. 8 cap. 5. num. 13. Talis exemptio Regularium ab Epifcopo non tam eſt facta in favorem particularis Religio-

ſi, quàm in favorem totius Religionis: ergo non poteſt privatus pro arbitrio ſuo ſine voluntate ſui Prælati hoc privilegio cedere. Confirm. Talis ceſſio eſſet contraria quieti, tranquillitati & ſubjectioni Prælati ordinis debita: ergo non eſt concedenda. Hinc

Dico 2. Probabiliùs à mortali per ſe non excuſari, qui in ipſo Collegio quantitatem carnis comedit, quanta conficeret peccatum, ſi nulla facta diſpenſatio in abſtinentia carnis fuiſſet. Ratio eſt; quia ſola diſpenſatio cum tali Religioſo facta excuſaret, hæc autem nulla eſt ex dictis: ergo &c. Progreſſimur itaque ad ſolutionem objectionum.

Ad 1. Concedo, eſſe privilegii annumerandam hanc diſpenſationem: verùm, cùm illud ſolis ſubditis Ordinarii concedatur, Regulares autem exempti, non ſint ſubditi, ideo ab iſtis ſine conſenſu ſuorum Prælatorum recipi non poſſe. Neque facit aliquid, quòd ſubjecti ſint in obſervatione feſtorum, & interdicti: Ratio diſparitatis eſt, quia iſti caſus ſunt expreſſè excepti,

Nn

cepti,

cepti, non autem præsens: atqui casus non expressus habetur pro omisso. *Leg. commodissimè. ff. de liber. & Posthum. cap. inter temporalia, de transl. Episc.*

Neque obest, quod in adducta regula insinuatum fuit: *quem non honoro, gravare non possum.* Licet enim hoc beneficium Regulares non habeant, plura tamen alia ab Ordinariis recipiunt: Dein onus celebrandi festa Diocesana eisdem non imposuit Ordinarius, sed Ecclesia & Pontifex.

IO Ad 2. Respondeo concedendo, quòd talis dispensatio immediatè afficiat territorium, & illos, qui sunt in territorio & de territorio, seu viros subditos in territorio existentes, Regulares autem cum sint exempti, sunt quidem in, sed non de territorio, & habent se, ac si in alio loco existerent.

II In tertia ratione concedo ejusmodi subditum Augustanæ Dioceseos frui posse tali dispensatione, dum hic commoratur, quòd autem hoc ipsum de nostris in Collegio degentibus dici nequeat, rationes nostræ conclusionis ostendunt, tum etiam il-

lud, quòd, quamdiu in Collegio versantur, se habeant ut existentes in alio, non autem in Eustetensis Dioceseos territorio.

Ad 4. tam rationem dico, Episcopus scopum habere fundatam suam jurisdictionem per totam Diocesis respectu illorum, qui certò sunt, & versantur in- & de illius territorio, non autem, contra illos, de quibus constat, quòd non sint de territorio illius, uti sunt totaliter exempti.

In 5. ta dist. antec. exemptio Regularium est in illorum, ut aliquam collectionem constituunt, favorem constituta, conc. in Regularium singillatim acceptorum. negatur: patet responsio ex rationibus nostræ conclusionis.

Ad 6. tum repono. Regulares posse se accommodare generali consuetudini, quæ sit stabilis, & quando accessit consensus Superiorum: conc. his non positis, negatur.

§. II.

Resolvitur II. Quæsitum.

An

An forenses, quamdiu commoran-  
tur etiam transeuntes tantum in  
Diœcesi Eustettensi possint  
comedere carnes?

14 **N**Oto. Ejusmodi forenses es-  
se vel vagos, seu nullibi ha-  
bentes domicilium certum, vel  
peregrinos, hoc est, tales, qui  
alibi suum domicilium habeant,  
2. dō. Posse se huc conferre a-  
nimo ibidem diuturno tempore  
habitandi, vel solum componen-  
di certi negotii causâ, vel deni-  
que præcisè, ut hinc carnibus ve-  
sci possint.

15 Circa hoc certum est, foren-  
ses, qui in hanc Diœcesin com-  
migrant animo in hac diutius, &  
per longius anni tempus com-  
morandi, gaudere hac dispen-  
satione: ita communis. Ratio  
est; quod talis cesset esse foren-  
sis, ac incipiat fieri incola, acqui-  
rens quasi domicilium, conse-  
quenter etiam quasi subiectus E-  
piscopo. Sed dispensatio se ex-  
tendit ad omnes subditos: ergo  
&c. Ita docent Farinacius,  
Sanchez l. 3. de Matrim. disp. 18.  
n. 9. & l. 1. in Decal. cap. 12, n. 42.

Suarez, Lessius, Palao disp. 1. de  
LL. pu. 24. §. 3. n. 2.

Secundò contra Lessium l. 4. 16  
cap. 2. dub. 7. n. 49. & Sugrum in  
clavi regia. lib. 3. cap. 4. n. 8. Reif-  
fenstuel. Communis omnium a-  
liorum DD. sententia teste Pa-  
lao defendit, vagos, eo ipso;  
quod nullibi domicilium habe-  
ant, hoc fortiri ex præsentanea  
habitatione, ne omnibus parti-  
cularibus legibus exempti con-  
stanter permaneant, quod rectæ  
illorum gubernationi repugnare  
non immeritò videtur. Ita San-  
chez de matrim. disp. 18. n. 15. &  
in Decalog. l. 1. cap. 12. n. 23. Azor  
tom. 1. lib. 5. cap. 11. quest. 13. Sa-  
las, Bonacina, Suarez, Lorca.  
Quòd si autem domicilium in  
hac Diœcesi sortiantur, hoc  
ipso tanquam subditi favore di-  
spensationis uti poterunt.

Nec major difficultas est circa 17  
cæteros forenses, qui non ani-  
mo diutius commorandi, sed  
certi duntaxat negotii causâ se  
istuc contulerunt, in illorum sen-  
tentia, qui defendunt, tales fo-  
renses obligari legibus particu-  
laribus locorum, quâ transeunt:  
hoc enim supposito sunt quasi

N n 2

sub-

subditi Ordinarii Eustettensis ,  
consequenter dispensatio ad eos  
se quoque extendit. *Confirm.*  
Si forenses obligarentur legibus  
loci, in quo degunt , & cum iis  
non posset dispensare Ordinari-  
us in LL. communibus Ecclesiæ,  
forent deterioris conditionis ,  
quàm ipsi subditi Diocesani, quia  
cum istis in lege communi pos-  
set Ordinarius dispensare , non  
autem cum forensibus , qui ta-  
men instar subditorum observa-  
re deberent leges ejusmodi loci.

<sup>18</sup> Quòd si autem ejusmodi foren-  
ses, & peregrinos brevi tan-  
tùm tempore subsistentes ligari  
LL. particularibus illius loci non  
concedas , cum illis in lege ge-  
nerali & Pontificia videtur Epi-  
scopus haud posse dispensare.

Ratio est ; omnis dispensatio  
est actus jurisdictionis , & hæc  
in solos subditos exerceri po-  
test : ergo cum forenses non sint  
subditi, cum iis dispensare non  
poterit Episcopus : & ita docent  
*Sanchez lib. 3. de matrim. disput.*  
*23. n. 12. & 13. relatis pluribus.*  
item *Henriquez lib. 6. de Pœnit.*  
*cap. 14. n. 8. Lessius l. 2 cap. 40.*  
*dub. 18. n. 121. Suarez l. 2. de die-*  
*bus festis cap. 14.*

Secunda. quasi domicilium quis  
contrahit , & sortitur forum ra-  
tione habitationis diuturnæ &  
conductæ domûs : juxta *Abbat.*  
*cap. quòd Clericis. n. 5. de foro com-*  
*pet. Inao. cap. ex parte. n. 5. eod.*  
*tit. Constat ex lege. hæres absens.*  
§ *proinde in fine ff. de judic.* atqui  
tales nec conduxerunt domum,  
nec hîc habitant : ergo &c.

Tertia. Non potest cum tali-  
bus Episcopus Eustettensis di-  
spensare in votis & juramentis :  
ergo neque in legibus generali-  
bus & communibus.

Quarta. Non potest validè  
assistere matrimonio talium fo-  
rensium.

Quinta. Referente *Farinacio*  
*sess. Trident cap. 6. declaravit :* fo-  
renses & peregrinos posse absol-  
vi ab Ordinario loci, quâ trans-  
eunt, non tamen dispensari : er-  
go &c.

Sexta. Plures declarationes  
Cardinalium habentur, quæ af-  
ferunt, forenses non esse subdi-  
tum illius Diocesani quoad di-  
spensationem obtinendam, bene  
tamen quoad absolutionem à  
peccatis.

Septima. Ut aliquis sit verus  
subditus , necessariò debet esse  
Paro-

Parochianus: ut autem sit Parochianus debet ibi habitare animo perpetuo ibi permanendi, quem non habet, qui non habet domicilium: ergo iste animus est habendus, qui ad acquirendum domicilium requiritur ex Lege. *Nihil interest 25. ff. de captivis, & postlim. revers.* His tamen non obstantibus.

19 Dico. Cum illo, qui ex alia Diocesi, ubi comestio carnis non fuit permessa, in nostram se contulit sine animo diutius vel perpetuo hic habitandi, sed conficiendi cujusdam negotii causa, vel transeundo, posse dispensare in comestione carniū celsissimum Ordinarium in legibus communibus universalis Ecclesie. Ita Basiliius *lib. 8. cap. 5. n. 7.* Palao *de leg. disp. 6. pu. 7. S. 2. n. 5.* Ratio est, ad Superiorem cujuslibet loci spectat, procurare, & invigilare, ut omnes ibi commorantes observent leges universales, atque communes Ecclesie: ergo quoad harum observationem forenses eidem Superiori subjiciuntur: ergo etiam cum iisdem debet posse dispensare. Prob. subf. supposita veritate antecedentis, ad Ordi-

narium pertinet expendere causas, quæ earum observationem impediunt, vel excusant: ergo etiam perpendere causas, quæ excusant, & consequenter dispensare in lege universali poterit. Hinc

Dico 2. Ejusmodi hospitem aut peregrinum Augustanæ Dioceseos, saltem, si non ex intentione declinandi obligationem legis communis Ingolstadium se contulerit, posse comedere carnes. Ita Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 11. n. 4.* Suarez *lib. 2. de festis. cap. 14. in fine.* Sanchez *lib. 1. Moral. cap. 12. n. 28.* Lessius *cap. 2. dub. 8. n. 59.* Busenbaum *de LL. dub. 2.* Palao *lib. 1. tract. 4. cap. 11. n. 4.* Prob. Ex priore conclusione constat, Episcopum posse dispensare cum peregrinis in sua Diocesi existentibus in legibus communibus: dein præsumitur optimè, quòd etiam cum peregrinis voluerit dispensare, quando cum tota Diocesi dispensavit: ergo &c. Prob. ant. Episcopi sciunt hæc practicari à peregrinis, & tamen nihil opponunt, nec reclamant. 2. dò Rationes, quæ permoverunt, ad dispensationem hanc generalem

possunt etiam pugnare pro peregrinis : etsi pro istis specialiter non pugnant , licet eisdem nihilominus hoc favore uti , ut enim persona privata existens in territorio , pro quo universaliter aliquis favor concessus est , utatur tali favore ac dispensatione , non requiritur , ut etiam ex parte illius detur illa ratio : sicuti videmus obligari privatos lege universali , licet in isto non detur ratio , ob quam universaliter lex talis fuit lata : v. g. ne aliquis noctu exeat sine lumine ob vitandas rixas. *Confir.* Talis universalis dispensatio est quasi privilegium quoddam locale , quo omnes , qui in eodem loco degunt , frui possunt : ergo &c. *Confirm.* 2. Est valde difficile in convictu humano seorsim ab aliis servare jejunium , & ceteris omnibus à lege solutis jejunare.

21 *Probatur* 3. Si quis Mediolani primis quatuor diebus Quadragesimæ versetur , potest ibidem primis quatuor diebus vesci carnibus , licet alius Dioeceseos subditus existat , juxta *Busenbaum* & alios : ita etiam iisdem vesci potest , qui versatur in

loco , ubi iisdem vesci universalis facultas datur , quod ipsum etiam *D. Ambrosius* senterat relatus in *cap. illa. dist. 12.* cum sancto *Augustino* sequens responsum dederat : *Cum Romam venio , jejuno Sabbato : cum Mediolani sum , non jejuno , sic & tu , ad quam forte Ecclesiam veneris , ejus morem serva , si cuiquam non vis esse scandalo , nec quemquam tibi.*

Simili ratione *P. Gobat tract. 5. casu 17.* resolvit civem Constantiensem , qui die festo *S. Michaelis* agit *Marisburgi* , ubi hoc festum non feriat , licet ferietur *Constantiæ* , non teneri audire sacrum *Marisburgi* , quia peregrinus , seu forensis ac viator potest se accommodare moribus loci saltem *Catholici* , in quo versatur , ubi pro hac sua decisione rationem dicit esse , quia exemptio à lege comuni est quoddam quasi privilegium locale , quo proinde frui possunt omnes versantes in eo loco. Quod ulterius confirmat *Glossa* in *cap. illa dist. 12.* *Si fueris Romæ Romano vivito more.* quod consilium aut licentiam nobis innuit , nullum autem præceptum continet.

Pro-

Progredimur modò ad solutionem objectionum, & ad primam & secundam respondemus ex dictis constare, Ordinarium quemlibet concessam à Pontifice potestatem habere in quoslibet forenses in ordine ad observationem legum universalium totius Ecclesiæ, neque ad hanc subjectionem domicilium, vel quasi domicilium requiri.

Deinde licet talis Ordinarius non possit cum forensibus & peregrinis dispensare in votis & juramentis, malè infertur, quòd nequeat in legibus communibus, hæc enim jurisdictio multùm à consuetudine pendet, quam in dispensatione quoad vota & juramenta non dari, pluribus comprobatur Palao *de LL. disp. 6. p. 7. §. 2. n. 6.* Accedit, quòd præfens dispensatio in jejunio sit tantùm indirecta, & mediata, immediatè afficiens solum territorium, dispensatio autem in votis immediatè cadit in non subditum & extraneum.

Quòd autem matrimonio ejusmodi forensis assistere nequeat: Ratio est; quia non fit per hoc proprius illius Parochus, cui soli jus validè assistendi concessum est.

Si plures Cardinales declarant peregrinum non esse subditum quoad dispensationem, locuti fuerunt de dispensatione in votis, juramentis, vel immediatè circa peregrinum facienda; non autem de indirecta territoriali, & tantùm consecutiva dispensationem immediatè cum subditis suis exercitam. Denique ad quamcunque dispensationem vel non requiritur, ut sit verus Ordinarii subditus: vel si hoc est necesse, ad subditum non est necessarium, ut sit Parochianus.

§. III.

Resolvitur III. Quæsitum.

*An commorans in loco obligante ad jejunium licitè conferre se possit ad ad locum à jejunio exemptum animo ibidem comedendi carnes?*

**A**liud adhuc dubium super-<sup>22</sup> est circa illos, qui præcisè animo non servandi jejunium in hanc Diocesim se conferunt? exemptos istos nolunt Petrus de Ledesma Man. Rebellus, Sayrus  
cita-

citati apud Palaum *de LL. disp. 1. pu. 24. §. 5. n. 3.* idem hoc tenent Vasquez *p. 3. quæst. 98. art. 2.* Layman. *cap. 11. de LL. Rebellus p. 2. de oblig. Just. lib. 2. q. 7. sect. 3. n. 16.* Wiestner *de constit. n. 111.* Putant hæc constare *ex cap. sedes cap. ex tenore de rescriptis.* hîc dicitur, quòd fraus & dolus nemini patrocinari debeat: sed tales committunt fraudem & dolum: ergo &c. Accedit *Lex 1. §. iidem ajunt. ff. de aqua pluvia arcenda,* ubi prohibetur fodiens agrum proprium, si id fecerit animo nocendi alteri, scilicet avertendi fontem vicini, quòd si animo fecit meliorem suum agrum reddendi, ei permittitur: sed etiam talis è loco exit solo animo nocendi Legisatori. 3. tid. Sacra Congregatio Cardinalium Tridentini interpretum edidit breve authenticum ab Urbano VIII. ad Archiepiscopum Colonienfè anno 1627. roboratum, in isto Brevi annullatur matrimonium, quod contractum cum fraude fuit, id est, *quando incola loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum, idem domicilium retinentes se transferunt* ( ad lo-

cum ubi non est promulgatum ) *solo animo sine Parocho & testibus contrahendi.*

Quòd si respondeatur, hanc declarationem solùm loqui de hoc particulari casu, quando quis ex uno loco se confert in alium præcisè, ut se subtrahat legi statuenti, ut publicè contrahatur matrimonium, consequenter nullum locum habere in aliis materiis, de quèis nulla mentio ibidem facta est; Respondent etiam transmissò hoc toto esse tamen innegabile, quod allegata declaratio tales, qui præcisè animo se subtrahendi huic legi se alio conferunt, dicat agere cum fraude, & quòd taliter factum transitum fraudem nominet, & esse agnoscat. Cùm ergo juxta *ut cap. Sedes. cap. ex tenore de rescriptis.* Fraus & dolus nemini patrocinari debeat, taliter autem se transferentes ab uno loco in alium juxta hanc declarationem committant fraudem, hæc eisdem non debet patrocinari, quod tamen fieret, si forent exempti.

Oppositam, & tales à jejuniis eximentem opinionem tuentur Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 18.*

n. 29. alios referens & lib. 1. in Decal. cap. 12. n. 35. Basilius de Leonid. l. 5. de matrim. c. 9. n. 4. Suarez tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 13. n. penult. Bonac. disp. 1. quest. 1. pun. 6. n. 64. Palao de LL. disp. 1. part. 24. §. 5. n. 41. del Bene. de immun. Eccles. part. post dub. 2. plutes alios referens. Et teste P. Wiest. communis sentent. Rationes illorum sunt: Qui utitur jure sibi concessio, non dicitur fraudem committere ex reg. Juris: Nullus videtur ff. de Reg. Juris. & L. 3. §. is tamen. ff. de libero homine exhibendo. Atqui talis utitur jure suo, nam præceptum, quod in tali loco viget, illos non obligat ibi persistere, sed tantum, ut illud observent, dum ibi sunt: postquam autem exierunt, quod jure facere poterunt, illius præcepti obligatio jam cessat: ergo, si illo loco abeant, utuntur jure suo.

Secunda, si aliquis habeat casum reservatum in sua Diocesi, quem Parocho suo confiteri ex quacunque demum ratione abhorreat, tali licitum esse peregrinationem instituere in illum locum, ubi hic non est reservatus solo hoc animo, ut ab isto ibi-

dem absolvatur, & hoc dependenter à jure communi, non autem ex concessione sui Parochi: ergo tali animo se aliò conferens non committit ullam fraudem, quando, ut se ex obligatione liberet, in alium locum se confert.

Objic. Talis homo abit ani<sup>24</sup> mo nocendi suo Legislatori: ergo non facit licitè arg. Legis 1. §. iidem ajunt ff. de aqua pluvia arcenda. Resp. neg. antec. sed facit ob commodum suum: talis fugiens obligationem legis, non facit injuriam Legislatori, quandoquidem is non habet potestatem obligandi suos nisi existentes in suo territorio, ita, utposito exinde egressu, statim cesset ejus potestas & jurisdicctio in ipsos.

Dices: Ordinarii solent ta<sup>25</sup> les homines punire. Resp. id facere, sequendo opinionem oppositam etiam probabilem.

Quod argumenta volentium tales esse obstrictos ad jejunandum concernit, negant talem committere ullam fraudem, & dicunt ex cit. lege 1. §. iidem. minime inferri posse contrarium; Hæc enim lex ideo prohibet

O o

fof.

fessionem agri, quia constat nullo alio fine fieri, nisi damnificandi vicinum: in nostro autem casu non potest constare istam migrationem in alium locum exemptum fieri ob minuendam jurisdictionem Superioris &c. sed potius ob commodum transeunti proveniens.

Ad declarationem Cardinalium responderi potest, singulares & particulares rationes esse in matrimonio clandestino taliter contrahendo, quæ, cum non ubique, ac in præsentis casu etiam non dentur, ideo non quamcunque talem mutationem etiam hoc animo factam fraudibus annumerandam esse. Ecclesia enim ad evitandas illas difficultates & quamplurima incommoda, quæ clandestina matrimonia post se trahunt, clandestinum contractum annullavit in bonum totius communitatis Catholicæ, cum igitur hæc non evitarentur, si cuilibet liceret in alium locum, ubi clandestinè licet contrahere, præcisè ob hunc finem, se conferre; ideo Tridentinum absolutè voluit, & suos obligavit, ut volentes contrahere matrimonium, si in loco, ubi

receptum fuit Tridentinum existant, se in alium præcisè ob hunc finem non conferrent, quia hoc facto eadem difficultates & incommoda, quæ per hanc legem intendit amoliri, adhuc remanerent, ac in communitatem Catholicam redundarent, consequenter hoc attemptantes meritò dicuntur committere fraudem, quæ iis patrocinari non debeat: nihil tale in præsentis casu evenit; ergo inter unum & alterum casum est disparitas. Itaque, quando aliquid pro certo loco præceptum fuit, ut ex observatione illius certa incommoda aliàs in communitatem redundatura evitarentur; atque hæc etiam redundant in illam, si præceptum ab existente in illo loco non fuerit observatum; tunc censetur in fraudem legis agere, qui se à loco, ubi viget præceptum, transfert in alium, ubi non viget, præcisè ut se illi legi subtrahat, licet prævideat eadem incommoda nihilominus in illam communitatem redundatura, quia in tali casu habet communitas jus, & vult obligare, ut non exeat à loco: Sicuti Clericos absentes è loco

loco Beneficii potest obligare, ut redeant, & absentes punire, quia hæc eorum in alio loco existentia est damnosa toti communitati, & cultui Divino.

§. IV.

Resolvitur IV. Quæsitum,

*Utrum Missionarius potuerit absque peccato comedere carnes?*

<sup>26</sup> CUM homines Societatis nostræ neque ex Regula, neque ex ullo voto, sed ex solo præcepto Ecclesiastico obligentur ad jejunium quadragesimale, hinc quæstio instituitur, num contra præceptum Ecclesiasticum peccaret, qui missus ad concionandum in locum, ubi licentia sæcularibus est data, comedere carnes, præscindendo, an non ex alio capite, v. g. scandalo, aut ob violationem præcepti Superioris delinqueret.

Jejunii lege talem Missionarium obligatum nihilominus esse, ex eo videtur posse deduci, quia sola dispensatio Episcopi in hoc facta, eundem posset eximere:

Atqui ex prioribus principiis constat, quòd Episcopus cum Religiosis exemptis ob defectum jurisdictionis in illos non possit dispensare, & ipse subditus inscio Superiore nequeat se in hoc subdicere Episcopo: ergo absolute comedendo carnes peccabit.

Secundò. Religiosus etiam<sup>27</sup> extra Monasterium degens est subditus suo Superiori: ergo quousque ab hoc potestatem comedendi carnes obtinuerit, non poterit comedere carnes.

Dico tamen probabiliùs talem<sup>28</sup> Missionarium posse comedere carnes. Prob. Juxta superiùs dicta dispensatio est data immediatè pro territorio, ita, ut in hoc detur potestas universalis comedendi carnes; qua frui possunt etiam extranei, quanto tempore ibidem degunt: ergo etiam talis Missionarius ex nostra Societate. Prob. conseq. quæ dicuntur de peregrinis, quòd gaudeant privilegiis loci, in quo degunt quoad exemptionem à præceptis particularibus suorum domiciliorum ac etiam generalibus, universaliter dicuntur non minùs de sæcularibus, Clericis, quàm Regularibus: ergo si præ-

cisè de hoc præcepto Ecclesiastico, præscindendo à scandalo, aut prohibitione Superiorum loquamur, probabiliùs iste Missionarius fuit exemptus.

Confirmat. Talis Religiosus eximitur ab ista lege communi Ecclesiastica non ab ipso Episcopo immediatè ac directè, sed ab ipsomet Pontifice, qui in iure communi Pontificio ejusmodi peregrinis concedit facultatem accommodandi se privilegiis, atque exemptionibus, quibus territorium tale gaudet circa leges Ecclesiasticas: ergo non requiritur subjectio Missionarii respectu subditi.

Confirm. P. Gobatt *tract. 5. n. 99.* examinat, utrum Religiosus è Societate Pater Cosmas nomine, qui venerat ex Valesia, seu Diocesi Sedunensi, in qua habitaverat, Friburgum Helvetiorum ipsa hebdomada Paschali, cum in Valesia non jejunasset nisi 3. aut 4. heb. quia tunc nondum erat facta reformatio Calendarii, utrum, inquam, poterit Friburgi comedere carnes? & respondet affirmativè, adducens inter alias rationes carmen illius Glossæ *Verbo de-*

*beat in libro 3 Codicis de muneribus & honoribus: Terræ, ad quam pergis, cape mores, quos ibi cernis:* quam Glossam Bonagrata cum ipso Gobatt & P. Layman. *lib. 3. tract. 4. cap. 11. n. 8.* etiam non imèritò Religiosis applicandam asserit.

Confirm. Nemo dubitat, quòd Religiosus nostræ Societatis ex loco, ubi non licet in Quadragesima comedere ova & lacticia, se conferens in nostram Germaniam, hic possit eisdem vesci conformando se mori territorii, in quo versatur, vel qua transit.

Quòd si autem præscindendo à peculiaribus constitutionibus Societatis licet comedere carnes, si scandalum absit, videtur absolute hæc licentia eidem competere, quia nulla regula & consuetudo superaddita præcepto Ecclesiastico, aut votum Religiosum Societatis ad hoc jejunium obligant.

Accedit, quòd Superioris consensus in tali casu præsumi prudenter possit, tum quia non videtur novo quodam præcepto ab Ecclesiastica lege diverso talem Missionarium obligare vel-

le,

le, tum ex eo, quod huic valde difficile accideret servare jejunium ceteris ab hoc exemptis. Dein domestici Parochi extraordinarios & duplicatos labores, uti etiam sumptus ob talem personam deberent facere: ergo, si omne scandalum abesset, ex nullo capite apparet, prohibitam in tali casu comestionem carniū, atque illicitam futuram.

Quinimò, si absolute, atque expresse prohibuisset Superior Missionario, ne comederet carnes, hoc præceptum non videtur fortius obligare illo, quo alicui prohibetur, ne foris aliquid comedat, vel potum faciat extra tempus quadragesimale; quod, licet aliquis transgressus fuerit, ex eo tamen non iudicatur se gravis cujusdam delicti reum esse.

Sed quid tenendum de scandalo, eritne ratione hujus ad cibos esuriales obligatus? Scandalum nominamus dictum vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis. Minus rectum dicitur, quod vel in se malum est, vel mali speciem habet. Scandalum ita definitum aliud est per se

ac directe tale, dum scilicet alterius ruina intenditur, aliud per accidens, quando indirectè ac interpretativè tantum causatur alterius peccatum. Jam verò certum est, quòd nullius alterius peccatum per hanc comestionem positivè ac directe intenderit: sed neque indirectè; si enim aliquod, tunc hoc, quod reliqui videntes Religiosum comedere carnes Ordinem nostrum minoris, quàm antea, & omissa hac comestione æstimatorent, at nullus prudens & conscius exemptionis exinde minorem æstimationem habebit; vel si etiam aliquam habeat, non erit illa tanta, ut ratione hujus graviter peccasse censendus sit sua comestione Missionarius noster.

Alia adhuc major difficultas<sup>29</sup> est de licentia comedendi carnes casu, quo aliquis ex Collegio in domum cujusdam sæcularis ad prandium vel merendam invitaretur, & præcisè se illuc conferret, ut posset comedere ibidem carnes. Hoc dictum resolvendum erit ex eo, utrum solvatur lege sui domicilii, aut communi, qui præcisè animo se eximendi in locum ex-

emptum transfert. Si ponamus talem esse exemptum, etiam iste erit à lege Ecclesiastica, consequenter contra hanc non peccabit, licet ratione scandali dati, vel indignationis, quam merito in talem Superior conciperet, peccati cujusdam condemnari possit. Ratio autem prioris est; quia del Bene, Layman, & alii asserunt, si in eadem urbe essent duæ Paræciæ, vel duæ Diceceses, una cis, altera trans fluvium, & in una celebraretur festum aliquod,

non autem in altera, non peccaturum, qui exiens è loco, ubi feriat, transierit in alterum, ubi non feriat, licet hinc labores manuales tota die exerceat: ergo cum nostrum Collegium & domus sæcularium taliter se habeant, idem de istis tenendum erit. Dixi autem præscindendo à scandalo, quod in talibus circumstantiis difficulter evitari poterit.



## Casus XXVIII.

### *De Clerico valde tenue Beneficium obtinente.*

**C**Ajus Clericus, quia valde tenue Beneficium possidet, ex suo Confessario Quær. Utrum ad recitandum Breviarium quoad singulos dies sit obligatus?

2. Quodnam Beneficium pro tenue sit habendum?
3. Circa determinationem bonæ sustentationis Authores non conveniunt.
4. Quibusdam Beneficiis alia adhuc onera præter Breviarium sunt annexa.
5. Etiam tenue Beneficium rationem veri beneficii retinet,
6. Eti-

### Synopsis.

#### I. Definitur Beneficium.